

www.e-rara.ch

**Ecclesiasticvm In Sæcularem Dissertationem Joannis Jacobi Hottingeri de
Necessaria Majorum ab Ecclesia Romana Secessione, & Impossibili suo,
tùm in eandem Ecclesiam Reditu, Tùm Pace cum ea**

Rusca, Ludovicus

Lucernæ, 1721

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rp 491

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-60020>

Caput II. De necessario Romanam Ecclesiam reditu.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPUT II.

De Necessario in Romanam Ecclesiam Reditu.

Romana Ecclesia, ab Hottin-gero spiritualitè Sodomæ, Ægypto, Babylo ni, atque Babe-
 li comparata : *Impossibile nostrum*
 (inquit §. 50.) *in Ecclesiam Romanam*
Reditum evincit, quod pii nostri Majores,
non tam suo nutu, quam Dei jussu, Ba-
bele egressi, illuc redire districto Dei judicio
prohibentur : exite de illa (Babele)
populus meus, & ne participes
sitis delictorum ejus, & de pla-
gis ejus ne accipiatis (Apoc. 18.)
Eis ergo, qui extra Ecclesiam Romanam
vivunt (§. 51. concludit) non eò re-
deundum : eis, qui hæctenus in ea manent,
vel eam non esse Babelem, ostendere, vel
eam deserere incumbit, vel eis cum ea per-
eundum erit.

Gratias Hottingero, qui præ-
 vio doctrinæ apostolicæ lumine,
 quænam vera sit Babel, à qua exe-
 undum, & Hierusalem, ad quam
 est redeundum, atque in ea per-
 manendum, ostendit. Sanè si Ba-
 bel interpretatur *Confusio*, Baby-
 lon etiam (Moyse Gen. 10. & 11.
 ac Josepho l. 1, c. 9. antiquit. Ju-
 da-

daic. testibus) à Confusis Labiis nomen habet? non Romanam Ecclesiam (quæ cum in fidei doctrina, absque ulla prorsus Confusione, ubique, ac in omnibus uniûs omnino sit Labii, nullamque foveat in essentialium, ac definitorum fidei dogmatum confessione discordiam, per Hierosolymam potius, quæ *Visio Pacis* dicitur, significata dignoscitur) sed Reformatum planè Ministerium (cujus doctrinæ in fundamentalibus etiam fidei articulis monstruosa contradictio, atque confusio, ex mox dicendis, constabit) per Babelem, ac Babylonem non obscure significari comprobatur; quod quidem ut clariùs eluceat, sit

SECTIO I.

Unitas Romanæ Ecclesiæ

Necessarium suadet in eandem Reditum.

Quemadmodum Unus est Deus, ita Unam sibi Sponsam elegit Ecclesiam, ex cujus immaculatæ fæcunditatis sinu, plures in spiritu, & veritate sibi gigneret Filios: *Una est perfecta mea; Cant. 6.* una quidem, unitate doctrinæ

P; fidei,

Ephes.4.

Rom.16.

Jacob.2.

fidei, unitate Capitis à Christo instituti, unitate denique membrorum in sacramentorum perceptione, atque in externa etiam ejusdem fidei professione; ideoque: *Unum Corpus* (inquit Apostolus) *Unus Spiritus, Unus Dominus, Una fides, Unum Baptisma.* Pro cuius Sanctæ Unitatis custodia: *Rogo* (ait) *vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: non enim (alibi subdit) est dissensionis Deus, sed Pacis (I. Cor. 14.) tanta denique est Unitatis istius necessitas, ut qui unicum tantum non credat, à Deo, summa Veritate revelatum, objectum, atque ab infallibili Ecclesiæ suæ auctoritate propositum, quamvis cætera omnia credat, hereticus erit: Quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Quam clarè autem, ac sensibilibiter in Romana Ecclesia hæc Unitas Dei eluceat, nemo, nisi errorum caligine obvolutus, ignorat. Ipsa etenim Una semper, ob Unitatem doctrinæ, ad religionis suæ substantiam spectantis, apparuit: Una, ob Unitatem

Capitis visibilis, summi nimirum Pontificis, omnia illius membra moderantis: Una tandem, ob membrorum, fideliumque suorum unionem, qui omnes ab ipso Ecclesiæ exordio, ac toto terrarum orbe, ejusdem fidei professores, eorundem Sacramentorum participes, eorundem denique dogmatum, à S. Scriptura, Conciliis, Pontificibus, Orthodoxisque primævæ Ecclesiæ Patribus unanimi consensu approbatorum, sequaces extiterunt, & extant; quemadmodum experientia ipsa testatur, atque innumeris penè scripturæ sacræ, Conciliorum, præcipuorumque Orthodoxorum primævæ Ecclesiæ Patrum, ac majorum etiam prætensæ Reformationis Doctorem testimoniis in toto hoc opusculo non obscure probavimus. Quapropter deplorabile, ac mirum videtur, quomodo moderni sectarii, qui se à Deo illuminatos ostentant, Romanorumque suppositam cæcitatem objurant, ipsi tamen excusâ quâlibet passionis caligine, Videntes non videant, & intelligentes non intelligant, hodiernam Romanam,

P 3 nam,

nam, eandem omninò absque ulla alteratione, quàm primæva Ecclesia à Christo, & ab Apostolis hausit, servare fidei doctrinam; ob cujus admirabilis Unitatis illibatam custodiam, quicumque in unico, ex minoribus etiam fidei articulis, ab ea dissentit, illicò à sano Ecclesiæ corpore, tanquam membrum putre, anathematis mucrone reicinditur.

Hanc tamen admirabilem Romanæ Ecclesiæ in fidei doctrina Unitatem Hottingerus oppugnare contendens: *Hi & metho- do (inquit §. 9.) & rebus à se ipsis dissentientes, discerpti in Quodlibetistas, Summularios, Thomistas, Scotistas, Occamistas, Ægidianos, Judæorum Magistrorum ritu, discipulos suos torquent quæstionibus, Oedipum, Oedipodissimum requirentibus &c.*

Sed quàm vana sit, ac inutilis præfata Adversarii objectio, nemo est, qui non videat: scholæ etenim illæ, non rebus, ut falsò Hottingerus supponit, sed metho- do tantùm; aut in quibusdam nondum ab Ecclesia definitis articulis, inter se dissentiunt, quæ quidem speculationum diversitas

tas ad ingeniorum exercitacionem, & ad veritatis indefinitarum adhuc rerum investigationem conducit: In essentiali tamen fidei doctrina, omnibusque ab Ecclesia definitis dogmatibus, unanimes, unoque ore consentiunt; atque in hæresibus profligandis verbo simul, & calamo generosè decertant.

Diversitatem tandem Religiosorum Ordinum in Ecclesia Romana, tanquam veræ Christi Ecclesiæ Unitati contrariam Hottingerus opponit: *Horum enim* (inquit) *exercitus est Innumerus, institutis, Authoribus, Veste, Cingulis, Pileis &c. addo animis, variegatus, & diversus.* (§. 21.)

Verùm externa hæc pileorum, vestium, imò etiam Institutorum diversitas, in nullo prorsus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Unitati præjudicat; omnes enim in ejusdem doctrinæ fidei professione concordés, tanquam ordinati exercitus sub vexillo Christi, ejusque Vicarii Romani Pontificis obedientiâ, die, noctuque in Dei laudibus, ac famulatu excubantes, pro catholicæ fidei defensione, ac gloria, vigiliis, su-

doribus, sanguine decertare non perhorrescunt.

Hâc igitur Unitatis tam admirabilis Notâ , quâ omni prorsus dogmatum confusione , ac dissensione sepositâ : *Unum Corpus* (ut inquit Apostolus) *Unus Spiritus, Unus Dominus, Una Fides, Unam Baptisma* , in Romana Ecclesia dignoscitur , quisnam in eadem pariter veram non agnoscit Jerusalem, Pacisque Visionem , ad quam in Babelis Confusione , & captivitate degentibus , necessariò redeundum incumbit ? *Sanè cum à Domino* (inquit S. Hilarius) *Ecclesia instituta, & ab Apostolis confirmata, Una omnibus sit* ; hac autem fidei Unitate omnes Reformatæ facultatis, atque Novatorum omnium Cætus , inter se in fundamentalibus fidei articulis dissentientes, ut sectione sequenti constabit , destituantur , procul dubio ad Romanæ Ecclesiæ gremium , in qua sola hæc sancta viget Unitas, redeundum , necessitas ipsa compellit.

Hilar. 1.7.
de Trin.



SECTIO II.

Divisio Reformati Ministerii necessitatem Reditus in Romanam Ecclesiam evincit.

EVidentem hanc, atque infal-
libilem verè Christi Ecclesiæ
Notam, Vnitatem scilicèt, in Re-
formato Ministerio Hottingerus
demonstrare contendens: Omerus
(inquit) rei benè gerendæ fuit, quod De-
us utrobique Viros pietate, ac eruditione
instructos excitavit, qui socias manus por-
rexere: Luthero Carolstadium, Staupici-
um, Spalatinum, Melancthonem, Pome-
ranum &c. Zwinglio Oecolampadium, Va-
dianum, Myconium, Pellicanum, Ber-
chi Haberum, Pullingerum &c. In Gallie
Farellus, Calvinus &c. In Anglia Cran-
merus, Hoperus &c. eidem aratro (Re-
formationi scilicet) manus admove-
re (§. 40.)

Quàm pulchrè D. Hierony-
mus discordem hanc describens
fui, ac nostri ævi Novatorum
concordiam: Hereticos (ait) atque
Gentiles contra Domum David argumen-
torum vi, ac dialecticæ artis dimicare, nul-
li dubium est, ut qui inter se discrepant,
in Ecclesiæ oppugnatione consentiant, juxta
illud, quod Herodes, & Pilatus inter se
discor-

S. Hier. ad
cap. 3.
Isajæ.

discordantes, in Domini passione federantur.

Sanè Prothoreformatores isti, vel insanire, vel saltem repue-
rasci videntur, dum eorum scrip-
ta publicæ luci, typisque traden-
tes, eundem omnino nunc asse-
runt, nunc verò negant articu-
lum: hìc approbant, alibi autem
idem dogma condemnant, & re-
probant: mox, tanquam fratres,
invicem sibi dexter as porrigunt,
mox verò, tanquam infensissimi
hostes, execrationibus, ac con-
vitiis invicem altercantes, tot,
actales, in fundamentalibus eti-
am fidei articulis, inter se dissen-
siones enutriunt, ut Maresius Re-
formatae facultatis Minister, in
suo Sistem. nonaginta duas con-
troversias inter Lutheranos ex
una, & Zvvinglianos, & Calvi-
nistas ex altera parte, enumeret.

Ex horum schola innumerabi-
lis penè Reformatorum, vel po-
tius deformatorum, egressus est
numerus: *Protestantes* in Anglia,
qui Lutheranismi, & Calvinismi
mixtum quoddam profitentes,
propriam Regem, tanquam eo-
rum Ecclesiae Caput, agnoscunt:
Buritani, qui rigorosi, & puri Cal-
vi-

vinistæ, Protestantibus opponuntur: *Independentes*, qui Puritanis, ac Protestantibus, in cujuslibet Ecclesiæ, & Capitis abnegatione contrarii, unumquemque juxta internum Spiritûs Sancti impulsûm, dirigendum esse prætendunt: *Tremblantes* denique, sive *Tremuli*, Mennonistæ, Waldenses, centumque alii diversæ inter se doctrinæ sectarii, quorum singuli propriam Religionem, tanquam veram Christi fidem, atque Ecclesiam profitentes, talem, ac tantam in Reformatâ Ecclesia confusionem, atque divisionem efficiunt, ut in eadem quandoque familia tot Religiones diversæ, quod homines, non sine palpabili absurditate, numerentur,

Ut autem clariùs monstruosa hæc Novatorum appareat Unitas, ac vera Divisio, quâ in hoc tantùm conveniunt, quod Ecclesiam unam, & veram invadant, more Vulpium Sampsonis, qui etsi inter se continuò litigent, in caudis tantùm ligati conveniunt, ut noceant, & messem Domini comburant; nonnullas ex innumeris penè, etiam in fundamentalibus fidei articulis, contradic-
tione-

tionibus, ac censuris, quibus se invicem mordent, ac lacerant, audiamus.

§. I.

Lutherus contra Zwinglianos, Calvinistas, Sacramentarios, Hussum, Wicleffum, Waldenses, & Pichardos.

Thesi 27.

Lutherus contra articulos Lovanienses: *Hæreticos (ait) serio Censemus, & alienos ab Ecclesia Dei Zwinglianos, & Sacramentarios omnes, qui negant Christi Corpus, & Sanguinem ore carnali sumi in venerabili Eucharistia. Et Epist. ad Jacobum presbyterum Ecclesiæ Bremensis Doctorem: Mibi satis est omnium infelicissimo una ista beatitudo: Beatus vir, qui non abiit in consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zwingliatorum, nec sedit in Cathedra Tigurinatorum.*

Theologi Mansfeldienses Lutherani in Confessione Latina Mansfeldica, pag. 120. *Suspectam merito habemus Sacramentariorum Doctrinam, 1.^{mo} Propter novitatem, extitit enim recens nostro tempore, & ignota fuit vetustæ Ecclesiæ: 2. Quia Sacramentarii non definite in eadem sententia sunt concordés, sed in se ipsos divisi sunt, ut alii sint*

Ca-

Carolstadiani, Zwingliani, Oecolampadiani, Campanistæ, Calviniani, & similes.

Lutherus contra Carolstadium: *Quid me criminatur D. Carolstadius, quod expulerim eum? Caveat à fallaci illo spiritu quisquis potest.* Item

Epist. ad
Argent.

Tom. 2. de Cæna Domini, fol. 174.

Ego tanquam alterum jam pedem in sepulchro habens, hoc testimonium, & hanc gloriam ad tribunal Domini adferam, quod hostes Sacramenti Carolstadium, Zwinglium, Oecolampadium, eorumque discipulos, toto pectore damnarim, & vitarim.

Lutherus contra Hussitas, in Comment. in Epist. ad Galatas c. 6. editis anno 1523. *Consequens est, quod Bobemorum (id est Hussitarum) dissidium à Romana Ecclesia, nulla possit ratione defendi, quin sit impium, & Christi omnibus legibus contrarium.*

De Pichardis sic: *Hæc ideo commemo, ne Pichardi, nostri vicini hæretici, infelix populus, qui fætores Romano gaudet.*

In Resol.
solut. 80.

De Waldensibus verò: *Waldensium mirabiles sunt opiniones de Sacramento altaris, quas ipsi non intelligunt. Evangelii promissionem non purè tractabant, nec fruebantur lætâ conscientia. Errant in eo, quod non credant, solam fidem sine operibus justificare.*

Cap. de Supervermeris.

Melancthon Luther: contra
Wic-

Epist. ad
Trider.
Michomi-
um.

Wiclefum : *Prorsus nec intellexit, nec renuit fidei justitiam, ineptè confundit Evangelium. Item in locis communibus cap. de potest. Eccles. Illa Wiclefica superstitio perniciofa, & seditiosa est.*

§. II.

Zyvingliani, & Calvinistæ contra Lutherum, & suos.

Hudalricus Zyvinglius, Responsione ad Librum Luther. Nos Swermeros (ait) Latrones, Dæmones, famaticos, nequam, hæreticos, seditiosos &c. & quid non esse clamitas (Luthere scilicet) multum de te gloriaris, te iræ affectu corruptum furere, & insanire, non quidem negare poteris, si modo librum tuum, quem tutè scripsisti propè perlegeris : Dei Verbum corrumpis, & adulteras, Marcionitas, & Arianos imitatus. Item Epist ad Lutherum: *Seductorem Impostorem, & Christi negatorem, ipso Marcione deteriolem te judicamus.*

Oecolampadius, Responsione ad Lutheri Confessionem : *Priorem (ait) illum librum à demone auspiciatur nuper, hunc verò ejusdem auspiciis absolvit. Et infra : In Lutheri fide, & confessione 12, articulos comprehendimus,*

quo-

quorum aliqui vaniores &c. aliqui verò cum Dei verbo, christianæ fidei articulis palam pugnant &c. Bullingerus etiam id repetit contra Brentium: *Provocamus, inquit, ab irato, & furioso Luthero.*

Sed audiamus Calvinum ipsum de suo confratre Luthero:

Audio Lutherum cum atroci invectione, tam in vos, quam in nos omnes prorupisse; nunc vix audeo à vobis petere, ut taceatis... Sæpe dicere solitus sum: etiam si me diabolus vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut insignem Dei servum agnoscam; tamen ut pollet eximiis virtutibus, ita magnis vitis laborat &c. Item admonitione 3. ad Joachimum Vestphalum: Lutherani (inquit) homines sunt vertiginosi, Cyclopes, superba factio gigantium, frenetici, bestia, prodigiosè cæci, desperatè impudentes, nihil aliud, quam falsarii, & improbi calumniatores, protervi, plus satis bardi, fastuosi, & simul ita ignari, ut quod pueris in catechismo traditur, id eorum veterani theologi ignorant.

Tigurini etiam Theologi in Confessione germanica Tigurina, anno 1544. in 8. fol. 3. Superioribus diebus edidit Martinus Lutherus librum, quem inscripsit, *Brevis Confessio de Sacramento, in quo non obscure pro hæreticis,*

Q

Inst. fol. 113.

ticis, Sacramentariis, & sceleratissimis hominibus, habet, & condemnat Oecolampadium, Zwinglium, & omnes Tigurinos: liber plenus est dæmoniis, plenus impudicis dictis, scatet furore. &c.

**Dediutum
belli Eu-
char. pag. 25**

Tandem, ut alios innumeros fileam, Joannes Jezlerus Sacramentarius Calvinista: *Primum* (inquit) *bellum fuit à Luthero, & Carolstadio: 2. à Luthero, & Tigurinis: 3. à Vestphalo, & Calvino: 4. ab Hesusio, & Glebitio: 5. à Brentio, & Bullingero. Et pag. 8. Litigandi, scribendi, declamandi, disputandi, & condemmandi, excommunicandi, inter Lutheranos, & Calvinistas nullus est finis. Postea pag. 93. censuras Lutheranorum contra Calvinistas exponit, asserentium: Quod sint mendaces, quod falsarii, quod Sacramenti perdae, quod Sacramentorum hostes, quod corruptores testamenti Christi, quod ruant in tartara, quod suo iudicio damnati. Zwingliani è contra, duriora & ipsi ceperunt proferre; unde vocarunt Lutheranos Antropophagos, Hæmatopetas, Thyestas, Carnifices, Christicidas, Artolatras, impanati Dei cultores, abnegatores Redemptionis per Christum factæ, Eutichianos, Schwenchfeldianos, eversores quam plurium articulorum fidei. His excitati Lutherani, vocarunt Zwinglianos, convictos hæreticos, dæmoniacos,*
dia-

diabolis omni ex parte, ante, pone, supra, infra, intus, & extra obsessos &c. enumerandos cum Anabaptistis, Nestorianis, Arianis, Turcis; omnium mortalium, quos unquam terra sustinuit, deterrimos, nec non in sempiternum damnatos.

Hi igitur sunt primarii præten-
sæ Reformationis Apostoli, quos
Virospietate, & eruditione instructos, at-
que à Deo excitatos, Hottingerus ap-
pellat; de quibus: *Cæterum* (in-
quit §. 38.) *cum Spiritus Sanctus hos*
duos testes suos (Lutherum scilicet,
& Zvinglium) *ætate, donis, fortitu-*
dine haud admodum dispares, eodem prope-
modum tempore, & armaret, & anima-
ret &c.

Proh dolor! Quanta vel in intel-
lectu cæcitas, aut in voluntate
obduratio! nunquid SpiritusSan-
ctus sibi ipsi contradicere potu-
it? Nunquid *Divisus est Christus?* Sa-
nè si testis Spiritûs Sancti fuit Lu-
therus, Zvinglium, ac Tigurinos omnes, Spiritûs Sancti te-
stimonio per os Lutheri jam su-
pra prolato, hæreticos Hotting-
gerus declarat. Si verò Spiritus
Sanctus per Zvinglium loqui-
tur; jam seipsum mendacii, ac
falsitatis Adversarius accusat,
dum Lutherum Spiritûs Sancti

Cor. i.

Q2

testem

testem affirmat, quem tamen Spiritus Sanctus, per Zvinglium loquens, tanquam Christi negatorem, ipsoque hæretico Marcione deteriorem, condemnat.

Cor. 13.

Quis unquam sanæ mentis homo in Nebulonibus istis, tam scandaloso schismate in se ipsos divisus, Spiritum Christi, qui Deus Pacis, & dilectionis est, agnoscere poterit? Hæc est vera doctrina (inquit S. Athanasius Orat: in illud omnia mihi tradita sunt à Patre) hoc est verum signum, argumentumque, quod ita isti (scilicet Catholici) inter se consentiunt; neque dissident, vel inter se, vel inter Patres. Qui enim ita affecti non sunt, scelerati potius, & non veri præceptores appellari debuerunt.

Luth. in
Psal. 5.

Hanc etiam tam perspicuam veritatem Lutherus ipse cognovit: Neque enim (ait) ulli unquam hæretici victi sunt vi, aut astu, sed mutuam dissensione; nec alter cum eis pugnat Christus, quam missio inter eos spiritu vertiginis, & dissensionis, sicut inter Sichemitas Jud. 9. inter Babylonicæ turris operarios, & in novo testamento inter Arianos, Donatistas, Pelagianos &c. ita ut Hilarius Sanctus Vir gloriatur, Bellum hæreticorum esse pacem Ecclesiæ. Hæc Lutherus: & verè ita est; hæresis enim proprietas, divi-

De necessario Reditu in Rom. Eccles. 227
divisio est ; divisionis vero (ut
Christus ipse testatur) dissolutio, Luc. ii.
ac ruina: *Omne regnum , in se divisum ,
desolabitur.*

Ex quibus omnibus evidentèr
evincitur , tam monstruosam
acatholicorum Cætuum in fidei
doctrina Divisionem, veræ Chri-
sti Ecclesiæ, Unicæ ejus Sponsæ
repugnantem , necessarium in
Romanam Ecclesiam, quæ sum-
mâ pace, atque Unitate gaudet,
reditum suadere.

SECTIO TERTIA.

Sanctitas Romanæ Eccle-

siæ , necessarium in eandem urget

Reditum.

SECUNDAM hanc veræ Christi
Ecclesiæ Notam, quâ à quali-
bet Secta , seu falsa religione se-
cernitur , hanc inquam quotidie
in Apostolici Symboli recitatio-
ne confitemur : *Credo in Sanctam
Ecclesiam Catholicam. Sanctam qui-
dem, nemo enim in ipsam actua-
liter , nisi per Baptismatis lava-
crum renatus , atque Sanctifica-
tus ingreditur : Sed abluti estis , sed* Cor. 6.
*Sanctificati estis , sed justificati estis in No-
mine Domini nostri Jesu Christi. &c. San-*

Q3

ctam,

ctam, quia ejusdem Sacramenta, fideique, ac morum doctrina, ad suorum Sanctitatem fidelium ordinantur, quos quidem

1. Petr. c. 2.
Ibidem c. 1.

Apostolus vocat: *Gens Sancta*. Item *Sancti sitis, quoniam scriptum est; Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum: Sanctam denique, quia Christus, Ecclesiae suae Caput, & Sponsus, est Sanctus Sanctorum (Apoc. 3.) & Spiritus Sanctus, qui tanquam Anima Ecclesiae, eandem interius regit, Fons est, & Origo totius Sanctitatis; ideoque Apostolus:*

Ephes. 5.

Viri (inquit) diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut sit Sancta, & Immaculata.

Quanta autem sit Romanae Ecclesiae Sanctitas, nedum in fidei doctrinae, ab ipsa traditae, Sanctitate, sed etiam in Mediis, ad Sanctitatem consequendam ab eadem propositis, evidentem elucet: ipsa etenim ad Evangelica voluntariae Paupertatis, Obedientiae, & Castitatis consilia; ad virtutum, ac operum misericordiae continuata exercitia, ad Christi Jesu Crucem in humiliationibus, angustiis, & tribulationibus cum gaudio bajulandam; ad di-

De necessario Reditu in Rom. Eccles. 229
divina ejusdem sequenda vesti-
gia; ad omnium denique ope-
rum nostrorum, etiam quoad
finem, soli Deo cognitum, ma-
jorem perfectionem, hortatur,
& docet.

Sancta quoque in filiorum suo-
rum, ac Sequacium Moribus, in
tot scilicet Martyrum, Confesso-
rum, Virginum, Religiosorum,
ac Sæcularium, cujuscunque æta-
tis, conditionis, ac sexûs, Sancti-
tate dignoscitur, qui ad supre-
mum christianæ perfectionis api-
cem, exactâ mandatorum Dei
observantiâ, omniumque virtu-
tum exercitatione contendunt.
Quam sanè veritatem ipsi quo-
que Sectarii fateri coguntur; Lu-
therus en (lib. de cap. bab c. de
bapt. & c. de Euch.) Divos Bernar-
dû, Dominicum, Franciscum, &
Thomam Aquinaté, Sanctos ap-
pellat, quorum tres primi à Me-
lanctone etiam, magno Luthe-
ri discipulo, Sancti quoque vo-
cantur. Cum igitur Sancti isti,
Romanæ Ecclesiæ doctrinam, &
Fidem usque ad mortem professi
sint, ac servaverint, sequitur Ro-
manam Ecclesiam esse Sanctam
in fide, Doctrina, Ritibus, ac Mo-

Melanch.
in apol.
conf.

ribus, Sanctosque Cælo parturire ac consequenter extra eandem Ecclesiam quemcumque perire; Deus enim, non duas oppositas, sed unam tantum Ecclesiam, in qua salvemur, instituit.

Fateor quidem, Romanam Ecclesiam, non solos Justos, ac Sanctos, sed Peccatores etiam, qui non minorem illius partem constituunt, tanquam membra comprehendere. Hæc tamen malorum filiorum licentia, ac pravitas, in nullo prorsus (ut falsò Hottingerus opponit) Ecclesiæ Matris Sanctitati, aliorumque filiorum integritati præjudicat. Christus enim Ecclesiam suam, nunc Aræ comparat, quæ Triticum simul in horrea reponendum, ac paleas igni inextinguibili continet comburendas: mox verò *sagena missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. . quamcum impleta esse educentes. . elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt,* assimilat. Quamdiu enim Peccatores Sanctam Ecclesiæ fidem profitentur, sunt illius membra, Sanctitate Professionis, quamvis non Sanctitate Virtutis, ac Morum: retinent enim illam fidem, quæ

Matt. 3.

Matt. 13.

quæ Sanctitatem morum præscribit, licet eorum vitio in actionibus moralibus illius præscripta non servent. Quemadmodum schola dicitur docta, aut sancta quæ tradit, ac profitetur doctrinam solidam, ac Sancta morum præcepta, quibus plurimi ex discipulis insignitè perficiuntur, et si non pauci discoli aliqua ex iis præcepta despiciant. Imò potius hic irridendi sunt adversarii, qui totam Sanctam jactant eorum Ecclesiam, sed sanctitate tantum internam, & invisibilem, quia solos Prædestinatos complectitur. Sed quid aliud hoc est, quam latebras captare, & Ecclesiam suam per Notam maximè ignotam, omnibusque invisibilem declarare?

Sanctam denique esse declarant Romanam Ecclesiam innumera à Sanctis illius filiis omnino ævo patrata, in illius probationem, miraculorum prodigia, quorum omnium veritatem, & gloriam, à tot, tantisque viris memoriæ traditam, omnino rejicere, enormis esset temeritatis, aut saltem delirii argumentum: talis enim abnegatio, ne-

Qs

dum

Marc. 16.

dum illustrium Authorum, doctrinâ, & Sanctitate venerabilium, honorem, & famam; sed Christi etiam fidem, & Gloriam, evidētis mendacii, ac falsitatis notâ fædaret. Christus enim eodem modo veræ Ecclesiæ contulit prædicandi fidem, & operandi miracula potestatem: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Et statim subdit: Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur: In Nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Sed in Ecclesia Christi hoc tempore perseverat potestas prædicandi fidem; igitur etiam virtus operandi miracula. Cum enim absque ulla temporis limitatione fuerit hoc privilegium veræ Christi Ecclesiæ concessum, sine ratione, imò contra experientiam asseritur, illi jam fuisse sublatum.

Sanè si Tigurini Cives eâ curâ, quâ opes, & merces peregrinas, veræ fidei testimonia inquirerent: reperirent in Italia, & in ipso Romanæ Ecclesiæ gremio, domûs Lauretanæ miraculum pub-

publicum, & omnibus scire volentibus perpetuò conspicuum: Neapoli ampullam Sanguinis Sancti Januarii Martyris, qui in præsentia Capitis constitutus, miraculosè liquefactus ebullit: Barri in Apulia Mannam, seu miraculosum liquorem, ex Sancti Antistitis Nicolai genibus prodigiosè emanantem; & ne longiùs, quam par est evagemus, in omnibus penè Romanæ Ecclesiæ partibus sacros ejusdem Ministros invenient, qui ab obsessis corporibus dæmonia in dies eji- ciunt; morbisque à dæmonum vexatione subortis, in solo Jesu Nomine illicò medentur, & imperant. Hæc sanè palpabilia, ac penè quotidiana Ecclesiæ Romanæ miracula, Hottingerus fateri tenebitur, si ex Romanæ Religionis odio neget, tres Mortuos à S. Martino, totidem à S. Dominico, duodecim à S. Ludovico Tolosano Episcopo, à S. autem Xaverio supra viginti ad vitam restitutos, iis testimoniis comprobatos, quibus nil certiùs in rebus humanis esse potest, nil demum evidentius ad comprobendam Romanæ Ecclesiæ Sancti-

ctitatem ; quæ cum , ex prædictis , infallibilis sit veræ Christi Ecclesiæ Nota , nullique possit (ex mox dicendis) acatholicorum Cætui convenire , necessarium propterea in Romanam Ecclesiam Reditum evidentè ostendit.

SECTIO IV.

Defectus Sanctitatis in Reformatis Ecclesiis , Necessarium in Romanam Ecclesiam Reditum evincit.

PLuribus Sanctitatis titulis Prothoreformatores suos Hottingerus insignire , *Virosque pietate illustres , zelo Dei armatos , Spiritus Sancti Testes* , canonizare conatur. Sed quam spuria , ac vana hæc illorum Sanctimonia fuerit , nedùm ex mutuo eorundem testimonio , quo (ut sect. 2. visum est) seipsos vicissim blasphemos , & hæreticos , ac consequentè Dei inimicos , omnique Sanctitate destitutos ostendunt , evincitur ; sed ex notaria illorum tum doctrinæ , tum morum fæditate , atque à Deo eisdem , omnibusque hethodoxis negatâ ullius patrandi miraculi potestate comprobatur.

Porro

Porro si Veritas ipsa fidelibus suis in eorum fidei, ac morum Sanctitatis testimonium, realem illam Miraculorum, ac facti Sanctitatem repromisit: *Signa autem* Marc. 16. *eos, qui crediderint, hæc sequentur: in Nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis... Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, nullam in suis Hottingerus poterit portendere Sanctitatem; cum Acatholici omnes, quâlibet patratorum miraculorum potestate privati (quemadmodum Erasmus contra Lutherum, & suos de libero arbitrio inquit) nec claudum quidem equum sanare poterint.

Nota est apud Staphylum, qui actioni interfuit, ac testatam reliquit (lib. qui inscribitur Absoluta Responsio, contra Jac. pag. 404.) historia Lutheri, qui, ut à miraculi testimonio Prophetæ à Deo missi sibi nomen usurparet, fæminam à dæmone possessam, Dei Nomine à se liberandam multo apparatu suscepit. Sed post ingeminatos clamores, irritosque conatus, tandem ipse à dæmone in eas angustias redactus est, ut ab eo congressu vix vivus

Lutheri, &
Calvini
miracula.

vivuse vaferit. Similes quoque ac vanos Lutheri, suorumque asselarum in prætenfa miraculorum patratiōe conatus, Colæus describit, quibus nonnisi opprobria meruerunt, & spectantiū risum, qui nullum aliud spectavere, quàm solius temeritatis, & audaciæ prodigium.

Non minores fuere artes, & machinamenta Calvinī, qui (teste Bolseco ejus socio cap. 31. in vita Calvinī) ut aliquo patrati miraculi testimonio, doctrinæ suæ fidem conciliaret, viro inopi Brulæo nomine, cum uxore sua ab eodem inopiæ suæ auxilium petenti, benignè annuit, si illi vicissim in adornanda quadam miraculi specie operam suam, & fidem commodarent. Brulæus, ut jubetur, morbum simulat, ac Ministri eum populi precibus in concione commendant. Paulò post miser ille, ut priùs ægri, sic nunc defuncti personam induit. Monetur Calvinus, & quasi rei ignarus, cum amicorum caterva, ad defuncti domum divertit, ubi cum Brulæi uxor ploratu, ac lachrymis scenicum hoc funus egregiè adornasset, Calvinus in
ge-

genua provolutus, & fufis ad Deum precibus rogat, in doctrinæ suæ testimonium, defunctū hunc ad vitam suscitari: atque apprehensâ ejus manu, altâ voce iterum, iterumque imperat, ut sese erigat, & ad vitam resurgat. At ecce qui se mortuum simulavit jam verè mortuus reperitur; quo viso, uxor attonita, & in serias lachrymas, & querelas effusa, infastas Calvinii fraudes ex ordine revelavit.

Hos igitur vanos, inutilesque conatus, inspicientes Sectarii, Romanæ Ecclesiæ miracula, tanquam meras fraudes, calumniari non desinunt, omnemque præsentī Ecclesiæ denegant patrandi miracula, atque ejiciendi dæmonia potestatem: quâ quidem communi eorum confessione, se ipsos, ex consequenti, verâ Christi fide destitutos declarant, qui talem credentibus, ut suprâ ostensum est, potestatem promissit; veterumque in hoc sequuntur hæreticorum perfidiam, qui (sicut Judæi de Christo) vera fieri miracula in Ecclesia Dei negabant; ut 3. sæculo Celsus apud Origenem (lib. 1, contra Celt.) &

4. sæ-

4. sæculo Ariani apud Ambrosium serm. 9. & similiter Vigilantius apud Hieronymum lib. contra Vigil. & alii passim.

Qualis autem, ac quanta acatholicis Cætibus doctrinæ, & morum Sanctitudo, seu potius turpitudine, conveniat, ex eorundem Novatorum moribus, & doctrina colligitur. Lutherus siquidem in Colloquiis Mensal. German. fol. 274. *Quando (inquit) cum hominibus sum, non nocet mihi diabolus; quando verò me solum deprehendit, tum docet me mores.* Ecce diaboli membrum, & ex propria confessione discipulum. Et fol. 281. *Diabolus frequentius, & propius mihi condormit, quam mea Catharina.* Ecce sacrilegum apostatæ Monachi Concupinatum.

Deinde Tom. 1. Epif. lat. fol. 334. ad Philippum: *Ego hinc insensatus, & induratus sedeo in otio, pro dolor! parum orans, nihil gemens pro Ecclesia Dei; quin carnis meæ indomitæ uror magnis ignibus: qui fervere Spiritu debeo, ferveo carne, libidine, otio, somnolentiâ.* Et fol. 345. *Sufficit quod agnovimus divitias gloriæ Dei, qui tollit peccata mundi; ab hoc non avellet nos peccatum, etiam si millies uno die fornicemur, aut occidamus.*

Heu

Heu quanta hominum cæcitas ,
ut tam copiosa Germanorum
multitudo hunc confessum dia-
boli discipulum , turpisque libi-
dinis servum , Sanctum Dei A-
postolum , primumque Religio-
nis suæ Reformatorem agnoscat !

Zyvinglius etiam , in coronide
de Eucharistia , fatetur , se edo-
ctum à diabolo in somnis , ut ne-
garet Realem Christi præsen-
tiam ex illa scriptura Exod. 12.
Est enim Phase , hoc est transitus Domini ,
ubi inquit , Ly est idem sonat ,
quod Ly significat ; quæ scriptura
(ait) *omnem nebulam discussit.* Adeo-
que *non est leve, quod per somnium didici-*
mus. Ita Somniator ille , & à dia-
bolo edoctus, Ecclesiam per som-
nia reformare contendit.

Oecolampadius autem Mona-
chus erat , & apostata , qui (ut ait
Surius ad annum 1531.) à femina ,
quam incestu polluerat , in lecto extinctus
reperiebatur.

Quam procul tandem sit , &
fuerit omnis Sanctitas ab Eccle-
sia Calvinii , ejusque simul Duce ,
ipsum audiamus Calvinum , qui
(conc. 10. Gall. in Epist. ad Ephes)
inquit : *Sectæ meæ homines , omnium*
mortalium esse sceleratissimos , & facino-

rosissimos. Et cum verba eorum sceleribus satis congrua invenire non possit, *Tetra monstra*, & malos genios, humanam formam indutos, appellat

Quantum verò ad ejusdem Calvinii mores, Bolsecus, Calvinii pro tempore Socius, & discipulus, in ejusdem vitam sic loquitur: *Calvinus cum Novioduni curatum beneficium, & aliud Sacelli cujusdam Sacerdotium obtineret, sodomitici sceleris convictus, in vitæ discrimen venit, ut igni concremaretur: cæterum Episcopi urbis commiseratione pœna moderata, Caeterio cadenti ejus humero Liliam est inustum &c...* Deum autem testem appello, non me invidiâ, privatoque adversus quemquam illorum odio excitatum, ad scribendum accedere, sed divini honoris, veritatisque vindicandæ zelo. Idem etiam testatur Schlüsselburgius Lutheranus, & Tiletanus cap. 18. Apologiæ, dicens, adolescentem, quo abutebatur, fuisse ex Provincia Arelatensi. Teomorus etiam Calvinista (ait Rescius in Ministromachia) recenset 9. maculas turpissimas à suæ sectæ hominibus Calvino iniustas, scilicet hæretico peiorem, ambitiosam, usurarium, trapezitam, avarissimum, aleatorem, scortatorem libidinosissimum, & quidem

De necessatio Reditu in Rom. Ecclef. 241
*dem eo more, quo non liceat homini loqui,
vindictæ appetitissimum, & iracundissimum
fuisse.*

Beza tandem (ut cæteros sile-
am) illius discipulus, & Sodomi-
tici Magistri sodomiticus assecla,
cujusdam Sartoris Parisiensis in
platea de Calendra uxorem
Claudiam secum Genevam se-
duxit, quam & *Candidam* suam ap-
pellavit: alterum adhibuit Au-
dobertum nefandi cubitûs Mas-
culum, de quibus ipse Beza sic
cecinit:

*Namque Vezeliûs carere possum,
Et carere parente, & his, & illis,
At non Candidulâ, Audobertuloq;
Sed utrum rogo præferam duorum?
Priores tibi defero Audoberte;
Quod si Candida fortè conqueratur,
Quid tum? basiolo tacebit uno.*

Et nunquid non hæc horrenda
novæ Reformationis initia? Isti-
ne sunt lapides angulares, per
quos *Ecclesia Dei vivi, Columna, & fir-* 1. Tim. 3;
mamentum veritatis, oportuit re-
formari? Hæcne Ecclesiarum
istarum Sanctimonia, exordia sa-
cra, Miracula, qualia nec inter
Arianos, imò inter Paganos ip-
sos vix legimus?

Minus Sanctam denique in fi-

dei doctrina esse quamlibet præ-
tensæ Reformationis Ecclesiam,
ex hoc evidentè ostenditur; nul-
la enim Religio est Sancta, quæ
docet hæreses à primæva, & Ca-
tholica Ecclesia Christi damna-
tas; illa enim, ut omnes quoque
Reformati Ministerii Doctores
fatentur, ab omni erroris suspi-
cione fuit immunis: atqui mo-
derna Lutheri, Zvvinglii, atque
Calvini Religio docet easdem
hæreses à catholica, & primæva
Ecclesia olim damnatas, quem-
admodum superius in singulis fe-
rè propositarum controversia-
rum articulis, orthodoxorum
Veterum Patrum testimonio
probavimus: igitur eorum Ec-
clesia nequit esse sancta.

Hoc etiam confirmatur, &
constat ex sequentibus eorum-
dem Sectariorum dogmatibus:
1. Impossibilis est divinæ legis
observantia: 2. quilibet tenetur
credere se esse Prædestinatum, &
quod infallibilitè salvabitur:
3. Quicumque Prædestinatum se
credit, ullum nequit peccatum
committere, & quælibet ejus
actio, licet pessima, illi à Deo
pro culpa non adscribitur: 4. Bo-
na

na opera Iusti, meritoria non sunt vitæ æternæ: 5. Non est in nostra potestate evitare peccata, prima enim culpa Adæ libero nos arbitrio privavit: 6. Non est agenda nostrarum culparum pœnitentia; Christus enim semel pro ipsis satisfecit: 7. Non licet Castitatem vovere; imò (subdit Lutherus) opus carnis æquè necessarium est, ac dormitio, aut comestio; addens insuper, *Renuente uxore posse virum uti famula &c.* Hæc, & plura his similia docet Reformata facultas; quibus à quolibet sanæ mentis homine seriò inspectis: Quomodò unquam Sancta potest esse Reformati Ministerii Ecclesia, quæ media ad Sanctitatem ducentia damnat: quæ peccatorum deformitatem, ut eadem amplectamur, exornat: quæ viam iniquitatis explanat: quæ conscientia frænum ad turpia laxat?

Ex noxiis istis, cæterisque similibus Sectariorum articulis, nullum omninò Romana Ecclesia recipit, aut unquam admittit; & quemvis admittere volentem, tanquam membrum putre à Corpore suo rescindit. Conferat quæ:

so Hottingerus hetherodoxa hujusmodi dogmata cum orthodoxa Romanæ Ecclesiæ doctrina, & videat, si ulla Reformatæ facultatis Ecclesia esse possit Sancta, quæ Sanctitati opposita docet, & adhibet media: videat inquam, conferat, perpendat, & ex propriis præmissis (§. 75.) ex Apostoli doctrina deductis, sic ratiocinetur, & judicet:

Veritas, & Sanctitas se mutuò amplectuntur, imò & complectuntur. Nemo veritate destitutus genuinam Sanctitatem possidet. Nemo à Sanctitate alienus, veritatem seriò amat: sed in Reformatis Ecclesiis (ut jam visum est, & ex mutua etiam earum confessione, quâ se invicem hæreticas, & blasphemias appellant) nulla prorsùs est Sanctitas: ergo nulla pariter in eisdem est Veritas: igitur ad Romanam Ecclesiam, in qua sola est doctrinæ, fidei, morum, miraculorumque Sanctitas, & Veritas, est necessariò redeundum.



SECTIO V.

Catholicæ Ecclesiæ nomen,

soli Romanæ conveniens, necessarium in eandem Reditum urget.

Non solius Nicænæ fidei, sed Apostolici etiam Symboli quotidiana Confessio, tertiã hanc veræ Christi Ecclesiæ prærogativam, & Notam ostendit : *Credo in Sanctam Ecclesiam Catholicam : Catholicam quidem, id est universalem, quæ se ad omnia tempora, omnesque orbis Provincias, ac Regiones extendat ; ideoque Augustinus, referens ea, quæ ipsum in Romana Christi Ecclesia tenent, ait : Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit.*

Contra hæ-
pist. fun-
dam. cap. 4.

Hæc autem tam lata, atque universalis extensio, soli potest Romanæ, non autem ulli Sectariorum Ecclesiæ convenire : quemadmodum enim initio, ac progressu totius opusculi hujus ostendimus, depositum fidei à Christo, & Apostolis Romanæ Ecclesiæ traditum, tam firmum, ac inviolatum hæc sola, omni ævo

retinuit, ut maluerit, tam ab antiquis, quam ab horum temporum Sectariis, gravissima bella, rapinas bonorum, exilia, & mortem ipsam sustinere, quàm vel unicum articulum à primitiva Ecclesia damnatum, admittere; uti hodie in Angliæ, Hollandiæ, & maximè in antiquissimis Hiberniæ Catholicis, tot calamitatibus hæctenus ideò laceratis, ante oculos habemus.

Locorum etiam Universalitatem soli Romanæ Ecclesiæ convenire, experientiâ etiam teste, præclarum illud comprobat Apostoli ad Romanos testimonium: *Gratias ago Deo meo, per Jesum Christum pro omnibus vobis, quod Fides vestra annuntiat in toto orbe.* Quoad priora etenim tempora, nullum est toto orbe Regnum, nulla nobis cognita natio, in qua aliquando propagata, & recepta non fuerit, aut propagari incœperit. Quinimò hoc tempore apud Gentes de novo repertas, publica extat Religionis Romanæ professio, templa, altaria, Missæ, cultus Imaginum &c. Ple-risque etiam locis in Turcarum Imperio, Catholici nonnulli re-
pe-

Rom. 1.

periuntur. In Europa Romanam Religionem publicè tuentur, ac profitentur universa Hispaniæ Regna, Galliæ Regnum amplissimum, tota penè Germania, Polonia, Italia, maxima ex parte Belgica, neque exiguo fidelium numero per Angliam, & multo majori per Hiberniam, aliasque plures orbis partes disseminata reperitur.

Cum his si pauci Europæ anguli comparentur, qui Zvvinglianam, Lutheranam, vel Calvinianam Sectam profitentur, unum pro millibus vix reperies testem. Solum enim Britanniæ Regnum, cum Dania, Suecia, Hollandia, & aliqua Germaniæ, & Helvetiæ parte, præfatas Sectas, easque pluribus, aliisque Sectis immixtas, complectitur. Quid exiguus ille numerus cum tota Europa comparatus? Quid cum Asia, Africa, & America, quarum incolæ, uti etiam Regionum, nunc in Europa infectarum, Romanam Religionem aliquando receperunt, & per multa sæcula suo testimonio, & sanguine comprobarunt?

Meritò igitur Romana sola, ac

communiter, in regionibus etiam illi inimicis, Catholica vocatur Ecclesia : idemque optimè agnovit eadem Reformata facultas, quæ ideo ab Apostolico Symbolo dictionem illam *Catholicam* deleri, ejusque loco *Christianam* substitui, atque edoceri præcepit, ut in ejusdem Symboli confessione dicatur : *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Christianam.*

Cum itaque vera Christi Ecclesia, ex Apostolici symboli confessione, omniumque primævæ Ecclesiæ Patrum testimonio, Catholica esse debeat ; in Romanam consequenter Ecclesiam, quæ sola Catholica est, necessario redeundum evincitur ; ideoque S. Cyrillus : *Si iveris (inquit) in aliquam Urbem, non petas ubi sit Ecclesia Dei, vel Domus ? nam etiam hæretici dicunt, se habere domum Dei, & Ecclesiam ; sed petas, ubi sit Catholica Ecclesia, id enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ, Matris omnium nostrum.*

Catheces.
18.

SECTIO VI.

Apostolicæ Ecclesiæ nomen, soli Romanæ conveniens, Necessitatem Reditus in eandem insinuat.

Apostolicæ nomen, veræ Chri-

Christi Ecclesiæ evidentem characterem, & Notam, nos edocet Sacrosanctæ Fidei Nicænæ confessio: *Credo in Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Illa etenim sola verè dici, & esse potest Ecclesia Christi, quæ doctrinam, & potestatem suam ab Apostolis, immediatè à Christo Domino edoctis accepisse, & per continuam successionem ad nostra usque tempora perduxisse, demonstrat: hâc enim Successione omnis vera, ac legitima possessio, ac potestas firmissimè solet, & sine dubitatione probari. Si quis autem illâ destitutus, de possessione, aut jure contendat cum eo, qui hanc potest Successionem exhibere; tanquam peregrinus, homo reijcitur, aut fatuus, qui se legitimum Gallicæ Coronæ Successorem proclamet, contra Barboniam familiam, quæ Successione continuâ, se in legitima Regni hæreditate perennare demonstrat.

Hæc autem à Christo, & Apostolis, ad nostra usque tempora, continuata successio, quomodo modernis Congregationibus, solâ Zvinglii, Lutheri, Calvini, alio-

aliorumque recentiorum auctoritate institutis, poterit convenire, quæ centesimum, ac nonagesimum circiter annum vix attigerunt, atque per mille quingentos post Christum annos, orbis ipsas ostendere nequiverunt?

Qui estis vos (inquit Tertullianus) & unde venistis ? quo denique jure Mar-

Lib. de præ
scrip. adve.
hæret. c. 37.

*cion (adde Zvvingli, Luthere) Syl-
vam meam cædis ? quâ licentiâ Valentine
(Calvine) fontes meos transvertis ? mea
est possessio , olim possideo , prior possideo.
Sanè cum hâc successionis posses-
sione apertè careant hujusmodi
Sectæ , carent etiam necessariò
eorum Ministri Jurisdictione à Chri-
sto derivatâ in gubernanda ejus
Ecclesia : carent ejus Ordine pro Sa-
cramentorum administratione ;
carent tandem Missione pro Verbi
divini prædicatione , quam ta-
men apertè requirit Apostolus :
Quomodo prædicabunt , nisi Mittantur ?*

Rom. 10.

Si dicas, uti communiter respondere solent Sectarii, Zvvinglianismum, aliasque Novatorum Ecclesias, olim quidem jam extitisse, sed hætenus per mille quingentos annos ante Zvvinglium, cæterosque Protoreformatores, occultam, & invisibilem
latu-

De necessario Reditu in Rom. Eccles. 251
latuisse? Hoc equidem est, ad
modum muris, ad Latebras, &
antra, sed frustra omninò, confu-
gere: vel enim ante Zvvinglium
occulta extitit, ut affirmas,
Zvvingliana Religio, & sic esse
non potuit vera Ecclesia Christi,
quæ semper visibilis debuit esse,
& conspicua, *Sicut Civitas supra mon-* Matt. 5.
tem posita; sicut Lucerna super candelab-
rum, ut luceat omnibus, qui in domo
sunt: sicut publicum tribunal, ad
quod jubemur confugere: Si au- Matt. 18.
tem te non audierit &c. dic Ecclesiæ; his
enim Christus Ecclesiam suam si-
milem esse declaravit. Si verò è
contra ante Zvvinglium non ex-
titisse respondeas? Igitur est no-
va, ac per consequens non vera
Christi Religio, neque Apostoli-
ca Ecclesia, de cujus nota Anti-
quitate jam constat.

Sola ergo Romana, quæ Chri-
sto, & Apostolis, usque ad hæc
tempora, se continuò successif-
se demonstrat, sola inquam Ro-
mana esse potest Vera, & Apo-
stolica Ecclesia; in illa enim Pres-
byteri suum Ordinem, Jurisdi-
ctionem, ac Missionem accipi-
unt à suis diocesanis Episcopis,
isti autem à Romano Pontifice,
qui

qui per continuam præcedentium Pontificum seriem, suam in Petri Cathedra Successionem toti orbi demonstrat: Hæc namque, in publicis, & ubique patentibus temporum annalibus, à tot, tantisque Authoribus, ac Sanctis Patribus, conscriptis, omni ævo tam luculentè consignata exhibetur, quàm ullus unquam ex Regibus jure Successionis, Regni sui thronum possidere ostendatur; ideòque nullus est in Romana Ecclesia Minister, fidem populo, & Sacramenta administrans, qui non possit potestatem, ac Missionem suam continuâ serie ad Apostolos, & Christum reducere, tanquàm ad primum Authorem, ac fontem, à quo illam derivatam accepit; ac consequentè sola Romana esse potest vera Christi Religio, & Apostolica Ecclesia.

Dices, ad denominandã Christi Ecclesiam, successionis jure Apostolicam, soliûs Apostolicæ doctrinæ, non autem Prælatorum Successionem necessariò requiri?

Sed quis est, qui non videat, certam totius Apostolicæ doctrinæ
rinæ

rinæ Successionem non posse per totà Christo Sæcula certò conservari, & innotescere, nisi per Personarum Successionem, quæ ostendere possit, se legitimam, ac certam illius tradendæ potestatem à Christo accepisse? Certè sola doctrinæ Successio innumeris figmentis omni ævo exposita foret, quemadmodùm tot exortæ de ea hæreses etiamnum apertè demonstrant. Sed quando etiam concederetur assumptum; cum quælibet A catholicorum Religio multis errorum, atque hæresum maculis, ut jam visum est, Apostolicæ doctrinæ formam, ac sanctitatem fædaverit; non Apostolica, sed Apostatica potius vocanda est eorum Ecclesia, ideóque sola Romana, quæ utramq; tam Prælatorum, quàm doctrinæ Apostolicæ successionem authenticè comprobat, sola inquam Romana, jure, vocari potest Apostolica Ecclesia.

Hoc sanè argumento Orthodoxi primævæ Ecclesiæ Patres ab alienis Sectis veram Christi Ecclesiam discernebant, in primis S. Augustinus: *Tenet me (inquit)*

in Ecclesia Catholica, ab ipsa sede Petri Apostoli,

contra E-
pist. fun-
dam.

stoli,

Disp. contra Lucifer. *stoli, usque ad præsentem Episcopatum, Successio Sacerdotum. Accedit S. Hieronymus: Brevem tibi (ait) apertumque animi mei sensum proferam, in illa permanendum esse Ecclesia, quæ ab Apostolis fundata, usque in hanc diem perdurat. Item (Epist. 2. ad Damasum) hinc inter partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat; ego interim clamo: qui Cathedræ Petri jungitur, meus est.*

Si Orthodoxa Sanctorum Patrum Antiquitas hanc perpetuam Sacerdotum in sola Romana Ecclesia Successionem, tanquam proprium veræ Christi, & Apostolicæ Ecclesiæ characterem agnovit; cæterasque Ecclesias eâ carentes, tanquam hæreticas damnavit, & respuit: quâ ratione, quo jure, prætensæ Reformationis Religio, legitimâ hâc Prælatorum successione destituta, veræ Christi, & Apostolicæ Ecclesiæ titulo gloriari, & gaudere præsumet?

Hinc evidentè apparet insufficientia characteris, & Notæ, quam (§. 7.) Hottingerus assignans: *Limes (inquit) quo vera Ecclesia à falsa dignoscitur, est Verbum Dei, utriusque testamenti codice conscriptum.*

Cum enim Augustino, & experi-

en-

entiâ teste, omnes etiam Hære-
 siarchæ, à primæva Ecclesia dam-
 nati, quamvis inter se multoties
 contradictoriè oppositi, littera-
 libus tamen S. Scripturæ textibus
 (ut alibi ostensum est) errores
 suos stabilire curaverint; absur-
 dum autem, & impossibile sit,
 Spiritum Sanctū sibi ipsi in scrip-
 turis contradicere; hinc eviden-
 tē elucet, solum Verbum Dei
 Scriptum, sufficientem non esse
 characterem, & Notam ad veram
 à falsa Ecclesia discernendam;
 cum idem Verbum Dei scriptum
 esse nequeat homini notius,
 quàm ipsa veritas Ecclesiæ, de
 qua inquiritur; ideoque contra
 prima Philosophiæ in ratioci-
 nando principia, hoc aliud non
 est, quàm vel idem per idem,
 vel ignotum per æquè ignotum
 probare.

Solius igitur Verbi Dei scripti
 litteralis professio ad veram, &
 Apostolicam Christi Ecclesiam
 dignoscendam non sufficit, nisi
 talis Ecclesia idem quoque Ver-
 bum scriptum in sensu à Spiritu
 Sancto in scripturis loquente, in-
 tento, simul profiteatur, & do-
 ceat. Cum autem sensus verus, à

Matt. 16.

Sancto Spiritu intentus, semper esse debeat idem tam doctus, quàm prædicatus, & creditus, ab Apostolorum tempore, usque ad diem Iudicii, in Ecclesia Christi, cui ipse promisit, quod *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; Nullus autem A catholicorum Cætus, sed sola Romana Ecclesia, illam S. Scripturæ doctrinam, quæ ab Apostolorum tempore semper tradita, & prædicata fuit, nunc quoque tradat, ac prædicet: hinc Romana sola esse potest Apostolica Ecclesia; ideóque ad hanc solam (Augustino clamante) necessariò redeundum: *Venite fratres mei si vultis, ut inseramini in Vite: dolor est, cum vos videamus præcisos ita jacere: numerate Sacerdotes, quis, cui successerit videte &c.*

In psal.
contra par-
tem Dona-
ti.

Ex quatuor igitur Notis istis, ac Signis (nimirum quod sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica) quibus, tanquam ex quatuor elementis, primisque quatuor qualitatibus constitutam, atque à qualibet priscorum hæreticorum Secta distinctam, veram Christi Ecclesiam Orthodoxa Sanctorum Patrum agnovit Antiquitas, eandem quoque in sola Ro-

ma-

De necessario Reditu in Rom. Eccles. 257
mana Ecclesia integerrimè perseverantem Hottingerus dignoscere poterit. Aut enim relata Patrum argumenta aliquid contra primavos Hæresiarchas concludunt, aut nihil? Si nihil? Jam Ariani, Marcionistæ, Vigilantius, cæterique à primæva Ecclesia damnati Sectarii, triumphabunt: jam sine luce forent præcipua Ecclesiæ Lumina: jam fatui essent Orthodoxi Doctores, & Patres, qui ineptis prorsus, ac vanis contra hæreticos usi essent argumentis. Si verò aliquid contra eosdem concludunt? contra Zyvinglium paritèr; Lutherum, cæterosque Novatores, concludunt; quidquid enim Hottingerus in eorum defensionem attulerit, eodem quoque se telo Ariani, Marcionistæ, atque Vigilantiani defendent.

SECTIO VII.

*Argumenta necessarium ex
A catholicis Cætibus exitum, & in Romanam Ecclesiam Reditum suadentia.*

DOlet Hottingerus, Hoc omne
Papistarum, qui cum Protestantibus in certamen descendunt, opus, hanc

laborem esse, & fuisse: quia de dictatorio suo ad æqualia subsellia vocati, rationibus militant, quæ nec caput, nec jugulum petunt: Arte hæc declinatoriâ detrectant examen doctrinæ ex Scriptura: substituunt viam authoritatis: clamant, non doctrinæ cum Apostolicis Scriptis convenientiam investigandam, sed Ecclesiam quærendam &c. (§. 45. & 46.)

Rom. 3.

Sed in quo alterum (Hottingerus immeritò) judicat, seipsum (justè) condemnat; præcipua namque Romanæ Ecclesiæ Doctorum obiter referens argumenta, arte eadem declinatoriâ, omnia eorum tela declinat, validasque eorum rationes, tanquam Donatistarum tergiversationes, Augustini testimonio, atque exemplo negligendas, existimat.

Quidquid tamen de quibusdam sit Ecclesiæ Romanæ scriptoribus, hujus tamen declinatoriæ artis notâ opusculum præsens justè denigrare non poterit, in quo, quemadmodum hætenus singula fidei dogmata è sacris scripturæ fontibus educta, Verbique Dei expresso testimonio roborata conspiciuntur; ita nunc ex folis Divinis, & Apostolicis Scriptis; imò ex iisdem Reformati

De necessario Reditu in Rom. Eccles. 259
mati Ministerii principiis in solo
Dei Verbo (ut supponunt) fun-
datis , Veram Christi Ecclesiam
ad quam redeundum , & in ea
permanendum est , inquiremus ;
ne argumenta , ac Notæ , quibus
veram à falsa Ecclesia secernimus ,
*artificioſa colloquia , adornati laquei , ter-
giverſationes , doſoſæ machinæ , ac technæ ,
ſicut de cæteris (immeritò tamen) fa-
tetur ,* Hottingero videantur.

I.

Divino Christi testimonio: *Multi* Matt.24.
*Pſeudoprophetæ ſurgent , & ſeducent mul-
tos : ex vobis ipſis exurgent viri loquentes* Act.20.
perverſa , ut abducant diſcipulos poſt ſe. . . Matt.7.
*Attendite à falſis Prophetis &c. Et ne li-
bera nobis in falſorum hujusmo-
di Prophetarum cognitione da-
retur erroris occaſio : A fructibus* Matt.7.
*(inquit) eorum cognoscetis eos : ſic omnis
arbor bona bonos fructus facit ; mala autem
arbor malos fructus facit. Illi igitur di-
vino iudicio ſunt falſi , atque ca-
vendi Prophetæ , qui , tanquam
malæ arbores , malos fructus ,
opera nimirum iniqua produ-
cunt. Sed huiusmodi ſunt præ-
tenſæ Reformationis Authores ,
ejuſdemque fidei primarii duces ,
quorum turpitudinem , morum-
que pravitatem , mutuo etiam eo-*

tundem testimonio jam supra (cap. 2. sect. 4.) comprobata ostendimus: ergo isti sunt falsi Prophetæ, quos Dominus ipse præcavendos admonuit. Secus autem Romanæ fidei Satores, qui virtutibus, Sanctitate, miraculis, quemadmodum 6.^{to} sæculo Sanctus Augustinus Monachus Angliam; 7. sæculo S. Bonifacius Germaniam; 8. S. Cyrillus, & Methodius Moraviam; 9. SS. Adalbertus, & Peregrinus, aliique Pannoniam, ac Poloniam; 10. S. Remigius Bohemiam, Moscoviam, & Galliam; duobus tandem his ultimis sæculis S. Franciscus Xaverius, B. Franciscus Solanus, aliique Viri Apostolici Indiarum regiones sudoribus, virtutibus, sanguine, Romanæ Ecclesiæ fidei reddiderunt: *Ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus Signis (Marc. 16.*

II.

Ab ea procul dubio Ecclesia exeundum, quæ falsa, ac hæreses docet, à primæva Christi Ecclesia damnatas: sed Reformati Ministerii Ecclesia, falsa, ac hæreses docet, à primæva Christi Ecclesia dānatas: ergo citiùs ab ea exeundum.

De necessario Reditu in Rom. Eccles. 261
dum. Major constat; Christus enim, qui *Via, Veritas, ac Vita est*, Joann. 14.
docere falsa non potuit; ideóque,
ut inquit Apostolus, *Ecclesia Dei vi-* 1. Tim. 3.
vi est Columna, & Firmamentum veri-
tatis. Minor etiam est evidens; ex
duobus enim contradictoriis un-
um necessarió est falsum: sed Re-
formata Ecclesia apertè docet
contradictoria; Lutherus enim,
cum suis, Realem docet (licet
cum Substantia panis) Corporis,
& Sanguinis Christi in Evchari-
stiæ Sacramento præsentiam,
quam tamen Zyvinglius, & Cal-
vinus cum suis omnibus negant:
ergo Reformata Ecclesia docet
falsa; ideóque rejicienda.

Confirmatur: Lutherana,
Zyvingliana, & Calviniana Re-
ligio docet, bona opera non esse
ad salutem necessaria, sed solam
fidem sufficere: atqui hæc eadem
fuit olim hæresis Simonis Magi,
teste antiquissimo S. Irenæo lib. 2.
cap. 20. & Eunomianorum, olim
ab Ecclesia damnatorum, circa
annum Domini 360. teste S. Au-
gustino hæres. 54. Lutheri, &
Zyvinglii doctrina est: Traditio-
nes esse rejiciendas, & Solam
Scripturam recipiendam: hæc

eadem hæresis à primæva Ecclesia damnata est in Ario, Nestorio, Eutichete, & Dioscoro, ut patet ex S. Augustino lib. 1, contra Maxim. cap. 2. Item Lutherus, Zyvinglius, & alii Sectarii, negant Confirmationis, & Pœnitentiæ Sacramentum; hæc quoque doctrina, tanquam hæretica in Novatianis olim ab Ecclesia fuit proscripta, teste antiquissimo Cypriano lib. 4. epis. 2. Igitur in his, & similibus à primæva Ecclesia rejectis hæresibus, Lutherus quoque, & Zyvinglius, eandem merentur censuram.

III.

Ex ejusdem Hottingeri, imò totius Reformati Ministerii principiis: *Limes, quo Ecclesia vera à falsa discernitur, est Verbum Dei, utriusque Testamenti Codice conscriptum (§. 7.)* Ita ut quidquid credendum est, hoc sit in sola scriptura quærendum: non tantum enim, qui Contra, sed etiã qui aliquid Præter Scripturam sentit, ultra sentit quàm oportet sentire (§. 6.) Sed Reformatæ Ecclesiæ articuli (quæ talis est, ac prout à Romana distinguitur) non continentur in Sacra Scriptura; igitur ex ejusdem etiam principiis, falsa esse dignoscitur.

Minor est evidens; Reformata enim Ecclesia, quæ talis est, solis articulis negativis à Romana feceratur; cujusmodi sunt: Papa non est Christi, ac Divi Petri successor: Missa non est Sacrificium: Confirmatio, Pœnitentia, Matrimonium &c. non sunt Sacramenta: non datur Purgatorium: non est orandum pro Defunctis: non datur in homine libertas arbitrii: non datur Realis Christi præsentia sub solis speciebus panis, & vini in Eucharistia: non licet vivere Castitatem: non est servandum quadragesimale jejunium: Baptismus non est necessarius ad salutem &c. Sed isti, & alii similes articuli, quibus solis Reformata Ecclesia à Romana distinguitur, non continentur in S. Scriptura: igitur ex ejusdem etiam primis principiis Reformatae Ecclesiae falsitas comprobatur.

Si respondeas, illos non esse Reformatae fidei essentielles, sed tantum accidentales articulos: quero, an articuli illi, quos accidentales vocas, contineantur in Scriptura, an non? Si continentur in Scriptura? non minus essentielles sunt articuli à Deo reve-

lati, quàm quivis alius in Scriptura contentus: omnia enim, quæ divina Veritas in Scriptura proponit, æquè sunt Verbum Dei, & æqualitèr participant infinitam Dei revelantis auctoritatem; ac proindè æqualitèr, & necessario credenda. Si autem dicas, in Scripturis non reperiri? ergo jam cogeris admittere, articulos tuæ fidei esse extra fidem, hoc est extra Scripturam, in qua sola profiteris tuam fidem contineri: ergo tota corrui Reformati Ministerii fabrica in illis fidei articulis, quos sibi de novo fabricavit, & in quibus à Romana dissidet Ecclesia.

IV.

Reformati Ministerii Ecclesia, vel ante Lutherum, ac Zyvinglium fuit Visibilis, aut Invisibilis? Si Visibilis, quis unquam eam vidit? ubinam viguit? quis de illa disseruit? quibus notis conspicua fuit? si verò Invisibilis? ergo vera Christi Ecclesia non fuit, quæ divino testimonio Visibilis esse debet, tanquam publicum Tribunal, ad quod quilibet possit recurrere: *Si non audierit eos: dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi si-*

Matt. 18.

De necessario Reditu in Rom. Eccles. 269
est Ethnicus, & Publicanus. Item si
dicas, Zvinglianam, aut Lu-
theranam Ecclesiam olim fuisse
Invisibilem, idem eodem jure de
sua Ecclesia dicere poterunt Tur-
cæ, dicent Anabaptistæ, dicent
novi Tremblantes sive Tremu-
li &c. an ideo illis credendum?

V.

Si Lutheri, Zvinglii, alio-
rumque Novatorum, vera esset
Christi Religio; sequerentur ea,
quæ quivis etiam Lutheranus, vel
Zvinglianus horret admittere;
sequeretur enim, Christianos
omnes, à tempore quo referunt,
Romanam Ecclesiam defecisse,
per integra scilicet duodecim Sæ-
cula ante Lutherum in æternum
periisse, ac omnes nostros, su-
osque Majores, qui per tot sæcu-
la Ecclesiam tantum Romanam
agnoverunt, à vera fide, & salu-
te æterna excidisse; nisi quis im-
piè fingat, Christum permisisse,
Ecclesiam suam visibilem per 12.
sæcula, veræ fidei ignorantiam al-
tè sopitam jacere; quod quidem
esset, non minus Christum ipsum,
quàm Romanam Ecclesiam in-
cusare. Periissent quotquot eo
tempore vixerunt viri, Sanctita-
te,

te, & miraculis toto orbe celebrati, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Thomas, Antonius Patavinus, Xaverius, aliique Sancti innumeri, quorum virtus, & vita, tot cælestibus fuit comprobata prodigiis, qui non aliam, quàm Romanam agnoverunt Ecclesiam, quam Hottingerus, cum Luthero, Zvinglio, cæterisque Sectariis, impiam, & sacrilegam esse criminatur:

Matt. 28.

Sequeretur ulteriùs, Christum Ecclesiam suam tanto labore, & amore institutam, per 12. sæcula deseruisse; cui tamen dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi; reliquisse illam sub impietate, & potestate*

Matt. 16.

Satanæ; cui tamen promisit: Porta inferi non prævalebit adversus eam; & per Apostolum, eam fore:

1, Tim. 3.

Columnam, & Firmamentum veritatis.

Tandem sequeretur, duodecim illis sæculis frustra toto orbe prædicatum fuisse à Romana Ecclesia Christi Evangelium: frustra tot Gentes à Paganismo ad Romanam Ecclesiam conversas: frustra fuisse tot sæculis Sacramenta, & alia salutis media à Christo instituta: frustraneam de-

denique Christi Passionem, Redemptionem, & Mortem, donec tandem Lutherus Ecclesiae Romanae Sacerdos, Sacerdotium, & Cælibatum deseruit, & ad connubia, omnemque carnis libertatem provolavit, atque ita Ecclesiam prolapsam restauravit, & Viam Cæli, quam Christus dixit Angustam, verbo, & exemplo laxam reddidit, & Spatiosam. Quis ratione præditus hæc non ludicra, non insana, non mera, ac vana figmenta judicabit? Quod si tandem respondeas, hæc nullo modo esse admittenda, sed potuisse Majores nostros, etiam in Romana Religione salvari: hæc responsio sequenti Rationi summum robur adjicit, ac firmamentum.

VI.

Illam est censenda, atque ab omnibus amplectenda, tanquam tutior, & vera Christi Religio, in qua omnes omnino Christiani, tam Catholici, quam Sectarii fatentur, æternam posse salutem obtineri: sed omnes, tam Catholici quam Sectarii fatentur, in Romana Ecclesia posse salutem obtineri: omnes autem Catholici,

lici, qui sunt maxima pars omnium Christianorum, omni tempore, & uno ore affirmant simul cum Lutheranis, me in Ecclesia Zvingliana, & Calviniana non posse salvari: quemadmodum Catholici omnes, cum Zvinglianis, & Calvinistis de Lutherana quoque affirmant Ecclesia (sicut superius cap. 2. sect. 2. jam vidimus) ergo Romana Ecclesia est censenda, atque ab omnibus amplectenda, tanquam tutior, & vera Christi Ecclesia, in qua omnes fatentur, me posse salvari; non verò Lutheranam, aut Zvinglianam &c. in qua maxima pars Orbis Christiani absolute negat, salutem posse obtineri. Hoc argumento, postquam apud suos Ministros rem Fidei diligenti examini subiecisset Henricus IV. Galliarum Rex, professus est, se ad Ecclesiam Romanam fuisse conversum, sicut Gallicæ referunt historiæ Scriptores.

VII.

Quæcunque Ecclesia procul dubio est falsa, quæ profitetur doctrinam, Sapientiæ, Bonitati, cæterisque Dei attributis oppositam;

tam: atqui Reformatæ facultatis Ecclesia noxiam hanc profite-
tur doctrinam: ergo apertè est
falsa, atque ut talis ab omnibus
reijcienda. Major est evidens;
Christus enim Divinorum attri-
butorum perfectionem Ecclesiæ
suæ imitandam, non averfandam
proposuit: *Estate Perfecti, sicut &* Matt. 5
Pater vester cælestis Perfectus est.

Minor etiam constat ex jam
relatis sect. 4. Sectariorum dog-
matibus, rectæ rationi, expe-
rientiæ, divinis attributis, ac S.
Scripturæ contrariis, ex quibus,
pro nunc, in exemplum, sequens
sufficiat: docent enim cum Lu-
thero Sectarii, omnia bona ope-
ra nostra esse peccata: insuper do-
cent, peccata omnia inter se esse
æqualia; ex quibus hæc, & simi-
lia paradoxa sequuntur; tam in
divinis scilicet laudibus, quàm in
blasphemiis; tam in eleemosynis,
quàm in furtis, nos æquè pecca-
re. Quid absurdius? quid irra-
tionabilius? nunquid tam pravæ,
tam absurdæ doctrinæ professio,
veræ Christi Ecclesiæ poterit con-
venire? sed quid mirum talia à
talibus Magistris documenta pro-
dire, qui tanquam articulum in

eorum Theologia indubitatum admittunt, Deum ipsum (horret calamus, enormem hujusmodi blasphemiam recensere) volitione, suggestione, & imperio, esse peccati Authorem?

VIII.

Illam veriùs credenda est Christi Religio, & Ecclesia, quæ fidelibus suis arctam, atque angustam ad Cælum viam proponit; quam illa Ecclesia, quæ nobis latam, ac spatiosam viam exponit; Christus enim ipse testatur: *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad Vitam: sed Romana Ecclesia fidelibus suis angustam, Reformata verò latam, ac spatiosam viam proponit: igitur non hæc, sed illa credenda est vera, ac legitima Christi Religio. In minoris probationem sufficit utriusque Ecclesiæ damnata recensere: si enim utrique (quemadmodum olim Christo Discipulus ille) dicatur: *Quid faciens vitam æternam possidebo?* Romana statim respondet Ecclesia: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata... Nisi penitentiam habueritis* (peccatoribus dicit) *omnes similiter peribitis... Satagite, ut per bona opera certant**

Matt. 7.

Luc. 10.

Matt. 19.

Luc. 13.

certam vestram vocationem, & electionem faciat. Reformati vero quid dicunt Ecclesia? Unicam, brevique re-
 sponcione se expedit: *Sola fides sal-
 vat, sola Incredulitas damnat, Cæte-
 rum quod libet facite.* Hoc pri-
 marium est Lutheri axioma, om-
 nium Reformatæ facultatis Mi-
 nistrorum applausu, unanimi-
 que assensu approbatum. Quæ-
 nam igitur ex his duabus Eccle-
 siis tutam, & arctam à Christo
 propositam; quænam autem spa-
 tiosam, & latam viam proponit?

Luther.
 Dom. 8.
 post Trinit.

IX.

Religio, quæ fraudibus utitur,
 atque, ut falsitates, quas profite-
 tur, sustineat, dolose in ratioci-
 nando procedit, hæc, procul du-
 bio, tanquam falsa rejicienda est,
 & iniqua: sed quælibet Reforma-
 ti Ministerii Religio similibus u-
 titur dolis, ac fraudibus: igitur
 tanquam falsa rejicienda est, &
 iniqua. Pro minoris probatione,
 atque hujusmodi acatholicarum
 fraudum, dolosæque argumen-
 tationis cognitione, observan-
 dum: præcipuum Reformati
 Ministerii studium, in quorun-
 dam articulorum facillimæ pro-
 bationis, atque indubiæ apud

T

om-

omnes certitudinis, demonstratione consistere, quibus communem populi applausum, ac fidem, doctrinae suae conciliantes asserunt enim, *Solum Deum esse divino cultu colendum: Matrimonium esse venerabile, ac Sanctum: merita Christi infinita: siue fide impossibile esse placere Deo &c.* Ex quibus Catholicis veritatibus, atque ineluctabilibus praemissis, ecce quasnam dolosas, ac pessimas inde consequentias inferunt: igitur (concludunt) Sancti non sunt adorandi, neque eorum imagines, & Reliquiae colendae: igitur abominabile est Virginitatis, & Caelibatus Ecclesiastici Votum: igitur vana est poenitentia pro peccatis, infinitam jam Christi satisfactione remissis: igitur frustranea sunt bona opera, solaque ad aeternam salutem sufficit Fides: quam quidem ultimam consequentiam, utpotè praecipuum acatholicae eorum doctrinae fundamentum, pluribus scripturae textibus hinc inde solitarie acceptis stabilire contendunt: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad Iustitiam (Gen. 15.) Fides tua te salvum fecit (Luc. 18.) Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit (Marc. 16.)*

Sic

Sic Deus dilexit Mundum . . . ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam (Joan. 3.) Quisnam mediocris intelligentiæ Vir dolosæ hujus argumentationis artem ignorat, quâ indoctos decipiunt, populosque, ad vivendum magis, quàm ad bene vivendum, sancteque moriendum propensos, inauratâ hujusmodi deceptione seducunt? Hujus etiam artis acatholicæ fraudes clariùs adhuc ex sequenti ratione innotescunt.

X.

Illà est vera Ecclesia, & Christi Religio, quæ totam, puram, & integram Scripturæ Sacræ veritatem profitetur; illa verò est falsa, quæ eandem solùm corruptam profitetur, dimidiatam, & mutilam: Atqui Romana Religio totam, puram, & integram Scripturarum veritatem proficitur; omnes verò prætenfæ Reformationis Ecclesiæ corruptam solùm profitentur, & mutilam: ergo sola Romana est vera; cæteræ verò sunt falsæ. Palpabilis evidentiâ præfatæ minoris elucet; Romana enim Religio, nedùm catholicas omnes veritates, jam numero præcedenti relatas, at-

T 2

que

que ab A catholicis ipsis profes-
 sas, veneratur; sed etiam easdem,
 modo cum aliis catholicis verita-
 tibus in Scriptura contentis com-
 possibili, profitetur, & sustinet:
 docet siquidem, solum Deum
 cultu esse divino, seu Latriæ a-
 dorandum; & insuper Sanctos e-
 tiam, non tanquam Deos, sed
 sicut Dei Amicos, Dulciæ adora-
 tione colendos: docet, Matrimo-
 nium venerabile esse, ac San-
 ctum, imò & Sacramentum; &
 insimul Castitatem Deo accep-
 tissimam esse virtutem, cum A-
 postolo docens: *Qui Matrimonio jun-
 git Virginem suam bene facit, & qui non
 jungit Melius facit* (1. Cor. 7.) docet
 infinitum meritorum Christi va-
 lorem; & insuper valorem hu-
 jusmodi nobis esse nostrâ coope-
 ratione applicandum. Docet
 quidem, quod *sine Fide impossibile est
 placere Deo* (Hebr. 11.) sed insuper
 cum eodem docet Apostolo,
 quod *Si habuero omnem fidem, ita ut
 montes transferam, Charitatem autem non
 habuero, nihil sum* (1. Cor. 13.) *Quod ex o-
 peribus justificatur homo, & non ex Fide
 tantum* (Jac. 2.) quod illi soli Pro-
 cedent; qui bona fecerunt, in Resurrec-
 tionem vitæ (Joan, 5.) Item (pecca-
 tori-

toribus inquit) *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis* (Luc. 13.) En igitur quomodo Romana Ecclesia doceat, quemadmodum ab initio docuit, totam, puram, & integram scripturarum veritatem. E contra verò Reformati Ministerii Cœtus, quosdam scripturæ textus ad pravam eorum sensum detortos, unicè, ac solitariè adducunt: Cœtera autem Scripturæ loca, illorum doctrinæ opposita, malitiosè reticentes, ex multis dimidiatis veritatibus integrum effingunt mendacium; atque ex pluribus mutilis, ac solitariis Spiritûs Sancti Verbis (ut numero præcedenti jam vidimus) contra eundem Divinum Spiritum mixtum quoddam horribilium blasphemia-rum educunt. Quænam igitur vera, quænam autem falsa ex istis videtur: Romana an Reformati Ministerii Ecclesia?

Plura sanè his similia argumenta, necessarium in Romanam Ecclesiam Reditum suadentia, præscripta opusculi brevitatis recensere non patitur: hætenus tamen allata, cuilibet videnti, ac volenti, sufficere posse confido.

ut quænam sit vera Babel, à qua
excundum, & Jerusalé, ad quam
est redeundum, atq; in ea perma-
nendum, non obscure innotescat.

Porro si Babel, ut diximus, in-
terpretatur Confusio; Babylon
etiam à Confusis labiis nomen
habet: tanta Reformatarum lin-
guarum in fidei dogmatum visa
jam varietate, ac contrarietate
Confusio, novam procùl dubio
Babelem, ac Babylonem; quem-
admodum etiam palpabiles er-
rorum tenebræ recentem Ægyp-
tum, in prætensæ Reformatio-
nis Ecclesia signatam, ac suscita-
tam ostendunt.

Apoc. 18.

Ne autem ex solo nomine, sed
ex re etiam, quænam sit vera Ba-
bel, ac Babylon dignoscatur;
hæc (inquit Hottingerus §. 50.) *fu-
tura dicitur Habitatio Dæmoniorum, &
Custodia omnis spiritus immundi, & cu-
stodia omnis volucris immundæ, & odibi-
lis.* Sed quid unquam per Pro-
pheticam Apostolici hujus text-
tûs prædictionem, nisi Reforma-
ti Ministerii Ecclesia innuitur,
cujus præcipui Fundatores, ac
Duces (ut jam sect. 4. visum est)
à Diabolo edocti, doctrinæ fædi-
tate, ac morum turpitudine
Ec-

Ecclesiam suam, veram Dæmonum habitationem, omnisque Spiritûs immundi Custodiam, proprio etiam testimonio, declararunt.

Exite ergo (non Romanis, sed Hottingero, suisque omnibus) Apostolus clamat : *Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & ne accipiat de plagis ejus* : quemadmodum enim immundus Prothoreformatorum Spiritus, doctrinæ turpitudine, dogmatumque fidei contrariorum monstruosa Confusio, ex Reformatae Ecclesiæ Babele necessarium suadet egressum ; ita immaculata dogmatum Sanctitas, atque indivisa, & concors in omnibus, & ubique, doctrinæ fidei unitas, in Romanam Ecclesiam, tanquam in Sanctam Jerusalem, quæ Visio Pacis dicitur, Reditûs necessitatem inducit.

CAPUT III.

De Pace, cum Romana Ecclesia necessario servanda.

NULLIS conditionibus Hottingerus cum Romana Ecclesia paciscendum, sed Regis